



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XV. Quod S. Bonifacius B. Wvnebaldo septem Ecclesias commisit in
Thuringia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

cundum beneplacitum peregrisset, Apostolica benedictione firmatus in Alamāniam ad Pipinum Regem rediit, & omnia, quæ ei in via acciderant, & quomodo Apostolica autoritate S. VVunnebaldu socium & cooperatorem laboris sui accepisset, ex ordine narravit. Quod Rex libenter audiens, & venerabilis viri faciem diligēter intuens, gratias egit Deo, quod virum de semine regionatum, & seculi contemptorem, Crucisq; Dominicæ baiulatorem in regnum suum, gratia Dei fauente, meruisset suscipere, ac deinceps magis ac magis perfecta caritate eundem cœpit diligere.

CAPVT XV.

Quòd S. Bonifacius B. VVunnebaldo septem Ecclesias commisit in Thuringia.

Eractis autem omnibus, quæ tunc in Regis curia tractanda erant, sanctus Archiepiscopus valefaciens Regi, in Thuringiam transiit, & ibi S. VVunnebaldo habitū monasticæ religionis secundum

dum regulam beati Benedicti tribuit, & ad
 presbyterij gradum, omnibus qui noue-
 rant eum in laudem ipsius acclamantibus,
 promouit. Sanctus verò VVunnebaldus
 videns, quòd virtus obedientiæ in humili-
 tatis radice maxime solidatur: in spiritu hu-
 militatis in cunctis, quæ ei iniungebantur
 perfectum se seruitorem exhibuit; & sicut
 bonus filius, & perfectus discipulus vsque
 ad mortem S. Bonifacio obediuit. Videns
 autem Archiepiscopus quod B. VVunne-
 baldus in omni iustitia & sanctitate vitæ
 proficeret, septem ei Ecclesias in Thuringia,
 sicut soror eius S. VValpurgis in scriptis suis
 commemorat, regendas commisit; quas ipse
 ad tantum culmen perfectionis perdu-
 xit, vt vsque in hodiernum diem per totam
 prouinciam illam, in laude Dei, honor &
 gloria S. VVunnebaldi prædicetur: tanta
 enim in eo virtus fuit patientiæ, & compo-
 sitio eloquentiæ, tanta integritas castitatis,
 tanta q; perfectio & dulcedo caritatis, tanta
 humilitatis magnitudo, & indefessi laboris
 fortitudo, vt nunquam in aduersis frange-
 retur,

*S. VVunnebal-
 dus fit Presby-
 ter.*

*S. VVunnebal-
 dus septem Ec-
 clesias præfici-
 tur.*

*Virtutes san-
 ctæ VVunnebal-
 di.*

retur, vel in prosperis extolleretur; ita vt vnus & idem in vno spiritu Dei semper appareret, & sale omnimodæ sapientiæ conditus nulli hominum aliquando grauis existeret.

CAPVT XVI.

De passagio S. VVillibaldi ultra mare.

Vide Hodeporicon S. VVillibaldi. tom. 4. Antiq. lect. D. Canisij.



Um hæc in Alamānia circa S. VVunnealdum agerētur, B. VVillibaldus frater eius in via, qua Hierosolymam tendebat, in mari & in terra magnis ac multis periculis afficiebatur. Nam tempestatum procellas, postquam diuina fauente gratia, euasit, pericula latronū, famis & sitis, macerationis, captiuitatis & incarcerationis squaiores, & graues à paganis, per quos transitum fecit, pro nomine Iesu Christi sustinuit passiones. Sed virtute Dei de his omnibus liberatus, tandem, sicut desiderabat, Hierosolymam peruenit. Dedit autem ei Dominus tantam gratiam in conspectu paganorum, qui tunc Hierosolymam inhabitabant,

s. VVillibaldus venit Hierosolymam.